

## **Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque  
Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XVIII. Ianuen. altius non tollendi. An & quando unum Monasterium  
Monialium se opponere possit alteri contiguo Monasterio etiam Monialium,  
eique impedire altiorem elevationem ob præjudicium ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74102)

Sic enim pro Ecclesia construenda, amplianda, vel ornanda, immo etiam pro eius porticu, atrio, aliisque appenditiis licitum est cogere vicinum ad vendendum & demoliendum ejus antiquum ædificium in ea parte, quæ ad ulu & ornatum Ecclesiæ est necessaria, ad nos, in l. figura sepulchrum ff. de religio. & sumptuoso funer. Cepoll. eodem tract. cap 82. Covarr. lib. 3 var. cap. 14. Menoch. consil. 120. Gratian. discept. 896. Giurba dec. 86. Gizzarelli. dec. 38. Rot. decis. 213 par. 2. recent. & habent hoc titulo spurius in materia retractus; Muriò magis impediendus est vicinus, ne novum ædificium Ecclesia præjudiciale construat, quia facilius impedientur facienda, quæ destruantur jam facta, & turpius ejicitur quæ non admittitur hospes, quo dictorio utuntur etiam juristæ ut per Alex. consil. 113. lib. 6. Surd. consil. 64. num. 7. & paßim.

Adversus hæc replicabatur per alteram partem, quod præjudicio oneris ædificii tribuna & muris Ecclesia resultantis consultum esse posset cum fortissimo arcu, cum quo tribuna omnino libera & præservata manebat, & ex qua ædificii forma cœf-  
fare dicebatur etiam inconveniens habitacionis laicorum super cappellas & altaria, cum ædificium omnino disiunctum remaneret, sed ex parte opponentium respondebat, non per hoc remanere consultum, quia licet arcus tollat onus fabricæ directæ, non tamen tollebat aliud fabricæ lateralis, & per quod magis gravabantur muri laterales, ex quorum ruina tribuna absque dubio ruinam & depressionem pateretur.

Offerebatur remedium cautionis damni infesti, sed dicebatur non benè applicabile tuberculæ materiæ; Tum quia per illud solùm consultur futuro damno resultanti ex ruina, sed non tollitur servitus, quæ ita per privatum contra Ecclesiam acquiritur; Tum etiam quia per tale remedium consultum dicitur damno solum bursa & pecunia ex ruina resultanti, sed consuli non potest alteri irreparabili cum pecunia, quod resultare posset ex fractura antiquissimæ & adeò venerandæ imaginis B. Mariæ in via lata, aliarumque imaginum, ac periculo eminenti Canonici & clericis in Choro pfallentibus divinaque celebrantibus, populoque in eadem Ecclesia existenti, quorum malorum timor permittendus non erat ob privatam commo-  
ditatem forsan exuberantem.

Præsertim, quod meo judicio fortius stringebat, quia nulla publicior natus ratio, hujusmodi ædificii adeò periculosi & præjudiciale strukturam postulabat; licet enim ex dicti novi palati constru-  
ctione in præsata nova platea Collegii magnus resultet ornatus, Attraenæ ædificium, de quo agebatur erat à parte interiori, nullum faciens ornatum, neque omnino necessarium erat, sed tantum ad magis sumptuosam mansiōnū strūcturam & dilatationem, unde cessante ratione favoris publici, solum concorrente illa privata sed exuberantem & non necessariæ commoditatis, omnino incongruum dicebam servitutem super Ecclesiam per-  
mitti cum prædictorum malorum & inconvenien-  
tiū periculo, & ex his inhibitus fuit ulterior fa-  
bricæ progressus, ac negotiorum siluit, deinde audio illud cum quodam honesto tempe-  
ramento sopitum  
esse.

\*\*\*

## I A N U E N.

ALTIUS NON TOLLENDI.

P R O

MONASTERIO MONIALIUM SS.  
IACOBI ET PHILIPPI.

C V M

ALTERO MONASTERIO MONIALIUM  
S. MARIAE DE MISER-  
RICORDIA.

Responsum extra Curiam etiam pro veritate.

An & quando unum Monasterium Monialium se opponere possit alteri contiguo Monasterio etiam Monialium, eique im-  
pedire altiore elevationem ob præjudi-  
cium luminum vel Solis, aut salubrium  
ventorum, & aeris suffocationem.

S V M M M A R I V M.

1. F *Alli series.*
2. *De privilegio Monialium, ut impediant altius tolli.*
3. *De ratione, cui innixum est hoc privilegium.*
4. *Privilegium prædicium non habet locum inter duo Monasteria aquæ Monialium, & de ratione.*
5. *An Monasteria virorum habeant idem privilegium.*
6. *De distantiâ cannarum, an procedat in Monasteriis monialium.*
7. *Vbi agitur de locis publicis limitatur regula textus in l. altius. & impeditur adficiūm præjudiciale.*
8. *Materia est potius facta quæm juri decidenda ex par-*  
*sicularibus circumstantiis.*

D I S C. XVIII.

**M**Onasterium Monialium S. Birgittæ, nun-  
cupatum B. Mariae de Misericordia, ob  
translatum fuit ad quasdam domus propè antiquum Monasterium etiam Monialium sub invoca-  
tione SS. Iacobi & Philippi; Cumque initium de-  
cisset cuidam ædificio, cuius elevatio plura præju-  
dicia causasset dicto antiquo Monasterio, tam circa  
privationem solis hyberni, quæ luminum ac impe-  
dimentum ventorum salutarium, cum aeris suffoca-  
tionem, & humiditatem exinde resultante, unde d.  
ædificio facta fuit oppositio; Hinc pro veritate  
consultus fui, an hæc oppositio esset iuridica nec n.

Et pro negativa facere videbatur consideratio,  
quod privilegium favore Monialium inductivum  
limitationis vulgaris regula textus in l. altius Cod. de  
servit. & aqua, & de quo privilegio post antiquiores  
ab eis allegatos, Sperell. decis. 58. num. 6. &  
sequen. Rovit. dec. 92. num. 7. Capyc. latr. dec. 157.  
num. 20. cum sequen. Navar. pragm. 2. de Monial. &  
habetur pro Monasterio Turris speculorum in altera  
Romana de Alberinu, In Florentina, de quibus in tri-  
bus proximè seqq. discursibus, unicè fundatum est  
in ratione honestatis, quæ ob virorum aspectum

C 4

vel

## DE SERVIT. PRÆDIALIB. DISC. XVIII.

32

vel introspectum violari posset, aut scandalum producere, live prejudiciale servitatem Monialibus inferre.

**Quæ omnia cessant**, ubi agitur inter duo Monasteria æquè Monialium, quanil referre videtur, quod Moniales unius Monasterii aspectum vel introspectum habeant in altero pariter Monialium, cùm idem sit sexus, quinimò potius id videtur expedire, ac defervire ad promiscuam custodiā, & ad pandendum superioribus illa inconvenientia, ex quibus scanda oriri possunt, quia cùm frequenter inter contigua Monialium Monasteria aliquæ muliebres, & leves non tamen peccaminosa emulations adeste solcant, de facili unum Monasterium pandit defectus alterius. Unde propterea ex eadem ratione seu proportione inter duo contigua & econspectu existentia Monasteria virorum cum sola via intermedia, ut erat propriè casus præsentis controversie, cessante emulatione in dubio non probanda decisum fuit in *Gerunden*, *altius non tollendi* intrare potius regulam, quam limitationem, *decis. 587. 599. & 611. part. 5. recent.* & tamen ut patet ex deduc̄tis apud *Rouit*, dicta dec. 92. in plurimum sententia, etiam in Monasteriis virorum dictum privilegium procedere videtur, quod intelligendum vobis juxta distinctiones seu declarationes, de quibus in *Neapolitana adifici seu altius non tollen. hoc tit. discr. 1.* in quibus decisionibus, præsertim *599. num. 39. & 40.* in specie advertitur, quod cefante ratione limitationis, non huic, sed regule locus esse debet; Accedente præsertim observantia, quoniam frequenter in magnis Civitatibus contigua coniunctur Monasteria econspectu, & cum sola via intermedia, quorum singula, alta & eminentia habent adificia, dum in Monasteriis Monialium; ut praxis docet, non intrat ea cannarum distantia, que inter Monasteria vel Conventus virorum ex privilegiis Apostolicis requiri solet, ex deduc̄tis in *Ianus*, *privilegiorum coram Rotas dec. 327. & 356.* & in eadem coram *Corrado impress. dec. 337. part. 10. recent.* ac etiam post *resolutiones Diana part. 9.* quoniam id fundatur potius ratione contiguitatis Ecclesiæ, ac ad evitandas scandalosas emulations haberi solitas circa conciones & confessiones, aliaque divina super populi concursu, secus ista ratione cefante ex deduc̄tis in *Neapolitana Seminary sub tit. de Regularibus*, & in *decisione in ea causa edita 12. Maij 1656 coram Dunozeto inter suas dec. 92.*

His tamen non obstantibus contrarium mihi de jure probabilius responderi debere visum est ob facti presuppositum, quod hujusmodi novi adificii elevatio magna causaret præjudicia antiquo Monasterio, tam circa privationem salubris foliis hyberni, quam circa privationem ventorum salutarium, ac etiam aeris suffocationem & humiditatem; Licet enim ad communiter notata in *d. l. altius*, cefante motivo emulations, hujusmodi accessoria & consecutiva præjudicia non spectentur, quoniam principaliter attenditur utilitas adificantis in suo; Nihilominus id cessat in locis publicis, seu alias aliquam privilegiatam qualitatem habentibus ad text. in *l. finali s. finali Cod. de servitut. & aqua*, ubi gloss *Cin. Alberic.* & *cateri*, de quibus in celebri *Romana Tramontana coram Pirovano & Burasio impress. apud Rub. tom. 1. singul. fol. 514. & 515. illaque Burassi habetur etiam inter suas decis. 631.* Licet enim in hac secunda, non absque discrepantia pro majori parte pro adificanto decisum fuit, at tamen id contigit ob cefantem rationem præjudicii; Tum ex eo quod non ageretur de Monasterio,

sed portius de domo puerorum secularium, qui ubique versari possunt, ac aeris beneficium obtinere; Tum ob notabilem distantiam & qualitatem adificii, ex quo non resultabat totale impedimentum ventorum, & sic admittitur tanquam certa juris conclusio, solumque negatur applicatio, quæ ubi agitur præterim de Monasteriis Monialium, videatur in dubitate, cum non possint exire a loco, neque foliis vel aeris beneficium alias obtinere, unde contra pietatem ac humanam rationem, retento dicti facti presupposito, esset eas sepe lire vivas, quod etiam in fortioribus terminis Monasteriis virorum, qui exire & convergari possunt, implicitè admittitur in allegatis *Gerunden*, dum advertitur ad utriusque Monasterii situationem, ob quam fabrica unius dicta præjudicia non causabat, & sic pariter evitatur applicatio ex facto, cuius potius & applicationis ita qualiter videtur, quam juris, ideoque ex singulorum catuum particularibus circumstantiis pro judicis prudenti arbitrio decidenda, considerando etiam in idem tanquam à simili, & exidicitate rationis dicta privilegia distantia seu cannarum, ac etiam quia, quando Monialium Monasteria de novo fundantur, haberet tolet hic effectus, an a fine eminentia adificia nec ne circum circa quibus existentibus, alias fundatio ibi sequuta non esset. Ideoque irrationaliter est, quod post longum tempus alteri licet rerum statum immurare, quoties tamen præjudicium est notabile prudentis judicis arbitrio, in quo totum id repositum videtur.

## ROMANA

### PROSPECTVS

PRO

ALBERINIS

CVI

MONASTERIO SPIRITUS SANCTI.

*Casus soperitus cum concordi temperamento.*

De eadem materia adificii, ex quo resulteret prospectus ad Monasteria Monialium.

SUMMARY.

1. **C**asus controversia.
2. Declaratur conclusio super tollendo vicinu aspectum vel prospectum ad Monasteria Monialium.
3. Redet bac materia in arbitrio superiorum.
4. Vbi innovatio productiva aspectus provenit ex parte Monasterii, non est præjudicandum vicini.
5. Per readificationem antiqui adificii, vel reductionem ad meliorem structuram, non dicitur fieri novum opus.
6. Domus ad meliorem formam redacta, dicitur eadem domus, non autem nova.
7. Nil interest ad Moniales haberi aspectum per unam, vel plures fenestras.

DISC.